



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani


Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

Indicium Antonii Avgvstini de eloquentia cum jurisprudentia conjungenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**

Censores, cum Consulibus, populique Magistris,  
 Ordine quemque suo.  
 Inde forum, sacramque viam, mysteria Pyrrhi,  
 Discere dulce fuit.  
 Quid memorem veteres Ianos, atque Amphitheatrum,  
 Balnea, templa, domos?  
 Dulce fuit doctus cum conviva abdita quæque  
 Protulit in medium.  
 Laudamus multi. Sed Fulvius atque Faërnus  
 Omnia ferre negant.  
 Sed quid ago? Verbofos ætas reddit amicos,  
 Care Latine, tuos.  
 Vive, memor nostri. Mihi Flaccus stillat in aurem,  
 Pulvis & umbra fumus.



## I V D I C I V M

### ANTONII AVGVSTINI de eloquentia cum jurisprudentia conjungenda.

*Praefat. in Iuliani Antecessoris Novellas.*

**C**VM duo lectorum genera sint, quorum alteri  
 discendi causa legunt, alteri solum ut reprehendi  
 captent occasionem, illorum mihi habendam  
 esse rationem, horum contemnendam esse calumnian-  
 di cupiditatem semper existimavi. Sive enim scribas,  
 sive nihil scribas, sive hoc aut illo modo scribas, sem-  
 per hi habent quod reprehendant. At studioso viro  
 nullus liber est inutilis. Ab aliis enim dicendi, ab aliis  
 vivendi rationem, ab aliis artes ac disciplinas, ab aliis  
 historiam temporum, ab aliis alia atque alia discit.  
 Illi se omnia scire jactant, haberèque se in quo Pla-  
 tones, Aristoteles, Demosthenes, Cicerones, Pa-  
 pinianos, Iulianos, Vlpianos, & ceteros quoscun-

que magnos viros sæpius errasse facilè ostendant. His igitur, qui nihil ignorant, nihil scribendum esse censimus; quando ad eos qui vitam Epicureorum deorum in terris degunt, nulla beatitatis accessio fiet. medicis hos tantum committendos esse putamus. Studiosorum verò, hoc est, eorum qui discendi cupiditate tenentur, duplex etiam genus est, juris præfertim civilis. qua de re nunc agitur. Alteri enim nocere existimant linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem, differendi aut dicendi artem, & ceteras disciplinas: quibus tamen veteres Iurisperitos exornatos fuisse negare non possunt. Alteri his omnibus libenter operam dant, & ceterorum ignaviam, quam etiam stupiditatem appellant, vehementer irident. Utrosque admonendos esse potius quam irritandos semper censui. Peccare enim quosdam ex utroque genere hominum video, dum præter modum aut hi suavitatem dictionis atque ornamentorum capti, minùs in hanc ipsam disciplinam incumbunt; aut illi nec sententijs sibi ipsis constant, in utrisque hærent, artis docendi rudes atque imperiti. Vtrisque Iuliani Antecessoris Novellarum librum proferimus, ut imitentur &c.

---

DE ANTONIO AVGVSTINO  
Antonij Augustini patre.

*Ex libro v. historiarum de rebus gestis Francisci Ximenij Cardinalis, auctore Alvaro Gometio Toletano. qui libri sunt penes me auctiores.*

**A**Ntonius Augustinus regnorum Aragoniæ Pro-Cancellarius, Reip. malè gestæ insimulatus, in Septimancam arcem gravi custodia servandus missus est.

*Quibus hæc addenda sunt, ut auctor adjicienda curavit. Sed hic anno insequenti, regni summam Francisco*